

INCONCVSSAM DEI GRATIAM
RERVM ELBINGENSIVM CONSERVATRICEM

CVM

DIVINIS AVSPICHS

ET

AVGVSTISSIMI POLONIARVM REGIS
INDVLTV CLEMENTISSIMO

VIR

ILLVSTRIS PERMAGNIFICVS
GENEROSVS MAXIMEQVE STRENVVS
DOMINVS

DNS. DANIEL
FVCHS

CIVITATIS PATRIAE PRAECONSVL ET PRAESES HACTENV
GRAVISSIMVS

MAECENAS OPTIMVS

BVRGGRAVIATVS REGI
MVNVS AMPLISSIMVM

D. XXI MART. A. MDCCLVII.

SOLEMNI RITV


CAPERET

SVBMISSAE PIETATIS ET OFFICII MEMORES
DEPRAEDICANT

MVSAE DRVSIACAE
OPERA

IOANNIS LANGII

GYMN. RECT. P. P. ET BIBL.



ELBINGAE STANNO NOHRMANNIANO.



ILLVSTRIS PERMAGNIFICVS
GENEROSVS MAXIMEQVE STRENVVS
DOMINVS



Terra tremit titubans, quatuntur viscera mundi.

Conspirant venti, miscentes murmura coeli,

Aestuat oceanus, stridens refluentibus undis.

Hic concussa soli facies admittit hiatus,

Et fugiunt rupes, rupesque repente cavernis

Profiliunt aliis aliae terrisque locisque:

Illic graminei nutant fastigia montis,

Culmina tectorum, fragilem minitancia lapsum,

Stant, trepidant, penitusque ruunt urbesque domusque.

Quis non Mygdonio surgentia marmore templa,

Magnificam Regis sedem, moderamina legum,

Pondera nummorum ac auri argentique talenta

Urbis ad astra ferat? Ast, ecce! fuerunt

Gaudia Lisbonae, splendorque ad sidera tendens.

Nam funesta dies & ineluctabile tempus

Prostravit muros, totamque e sedibus urbem

Montosis adeo commovit murimure saevo,

Vt nisi concussas moles, avulsaque faxis
Saxa nihil videas & junctum pulvere fumum.

Haecenus haec retulit, duplicato qui pede carpit
Nuntius atque vias regnorum vocibus implet,
Quassam vociferans terram Mundaеque Tagique.
Ast nunc, o mores! majora annuntiat idem,
Quae nos fata premunt, captum superantia ferme,
Nil nisi ad arma, viri! dicens: concurrite ad arma
Mox pelagi volitans ingentia trans vada magni,
Quae quassata armis toleravit America, profert.
Mox Regis vulnus, terrores atque recenset
Regnorum insolitos, quos sentit celsa Pyrene
Ac Rhenus rapidus, Rhodanus, validusque Garumna:
Quae populi Auftriaci, Illyrii, saevique Croatae,
Morlachi, Hungaricus sonipes, fortesque Borussi
Hucdum fenserunt clari aut monimenta trophaei,
Aut miseras clades, ingentia damna, ruinas.

Hinc quot cernuntur caedes! quot funera dantur!
Millia quot velat caesorum terra Bohemi,
Quam Lovositzorum montes & pectore signant
Albicolae timido! O fata recondita coeli,
Abstrusasque DEI rationes sic minitantis!
Quis mentem Domini novit? Quis concupit hujus
Exitii molem penitus, causasque latentes
Scrutari? Nemesis veneranda est. Nec puto, cives,
Bellica quos virtus metuendo fulmine fortes
Occidit, dignos solosque fuisse nocentes.

Partibus interea concussis orbis & urbis,
Dum nisi terrarum motus & praelia rumor

Nil clamat subitus, quid causae, cur ego tutus
Ac securus ago per aperta pericula vitam?

Limina cur Patriae, cur stant fundamenta certa?

Inter & Europae tot densa negotia belli

Cur tellus Lechiaec felicia tempora pacis

Sentit? cur nebulas tempestatemque serenat.

Vrbs Elbinga, DEO celebrans praeconia laudum?

Hoc opus, hic labor, haec coeli est clementia blandi,

Quae, quamvis montes labefiant & moveantur

Colles, ac populi terrae nova praecia tentent,

Hucdum servavit nostram Patriamque domosque,

Servatisque probi concessit signa favoris.

Iam Lactare redit, redeunt quoque gaudia civis:

Irradians rediit post turgida nubila Phoebus,

Post voces populi querulas plausus, pia vota.

Nam TE, MAGNIFICE, ut dudum prudentia cana,

Iustitiae studium, praeclara peritia juris

Promerere, jubet REGIS propensio faustis

Scandere sideribus jamjam fastigia honoris

Summa. Hinc gratatur, sperans simul optima, civis.

Insidet ac illud Musarum pectore: vivat!

Vivat BVRGGRAVIVS, gratus REGIque plebique!

Vivat PRAECONSVL, cum pace beatus, acerbi

Expers languoris, nullo moerore vacillans!

Inconcussa DEI jubeat clementia cuncta

Successu fieri felici ac omine fausto.

AVGVSTVM fervet, Patriaeque priora redonet

Tempora, vernantem nostrae tueatur & Vrbi,

Quae potior bellis, redimitae pacis olivam.